

ALEXANDR. L. Thesaur. *Petro omnes jure divino caput inclinant, et Primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.*

III. A PETRO profluxit potestas in reliquos. OPTAT. MILEVIT. L. 1. contr. Parmen. *Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cælorum communicandas cæteris solus accepit. Patres Milevit. in epist. ad Innocent. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem deferre debere.* INNOCENT. I. in epist. ad Conc. Carthæg. *A Petro ipse Episcopatus et auctoritas nominis hujus emerit.* LEO Serm. cit. *Si quid cum Petro commune cæteris Christus voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.*

IV. SOLI PETRO datus est Ecclesiæ primatus. CHRYSOST. Hom. il. in c. 21. Joann. *Aliis omissis, Petrum duntaxat affatur, fratrum ei curam committit.* CYRILL. ALEX. in Thesaur. *Petro plenissimum commisit; et nulli alii Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* THEOPHYL. in C. ult. Joann. *Præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat; non autem alii, sed huic tradidit.* BERNARD. L. 2. de Consid. *Cui, non dico, Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas: quas? illius vel istius populi, civitatis aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit: cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Cons. utraque p. Regimen Ecclesiæ a Christo institutum est perfecte monarchicum: ergo unus et solus supremam in Ecclesia potestatem ex Christi institutione habuit: ergo cum Petrum obtinuisse hanc potestatem ex dictis constet, ille unus et solus illam habuit: ergo nec cum Paulo, nec cum Apostolis omnibus primatus fuit communis aut indivisus.

Antecedens *Prob. I.* Monarchicum regimen distinguit unitas Imperii in capite, universalitas subjectionis in membris, facilitas pacis in corpore, et felicitas perfectionis in toto: sed Christus instituit regimen Ecclesiæ his notis distinctum; siquidem

De 1^a. testantur OPTAT. MILEV. L. 2. contr. Parmen. *Cathedra una est, et negare non audes scire te, Petro primum in urbe Roma cathedram esse collocatam, ubi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus; et CYPRIAN. L. de unit. Eccles. Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant ulique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.*

De 2^a. profitetur LEO epist. 84. *Magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in provinciis singulis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in majoribus constituti sollicitudinem suscipere amplioem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura consueret, et nihil unquam a suo capite dissentiret; et GREG. L. 4. epist. 32. Cunctis Evangelium scientibus liquet quod Beatissimo et omnium Apostolorum principi Petro Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.... Ecce claves regni cælestis accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus tribuitur.*

De 3^a. asserit OPTAT. MILEVIT. loc. supra cit. pergens: *In quo uno cathedræ unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram collocaret alteram: ergo cathedra una est; et Hieron. L. 1. contr. Jovin. Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio: Item CYPRIAN. epist. 33. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

De 4^a. enuntiat CYPRIAN. L. de unit. Eccles. *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis radii multi, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivus plurimus disfluit, numerositas licet diffusa videatur exundantis copię largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore; divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum; fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum; præcisus aresecit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos in universam terram extendit, profluentes rivus latius expandit; unum tamen caput est, origo una, et una mater fecunditatis; et BERNARD. L. 2. de Consid. c. 8. Præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege et in uno pastore, secundum illud: una est columba mea, una perfecta; ubi unitas, ibi perfectio: reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate. Ergo.*

Prob. II. Figura, exemplar, comparatio, similitudo, usus et notio propria Ecclesiæ ostendunt Ecclesiasticum regimen esse perfecte monarchicum. Nam 1^o. Synagoga fuisse figuram Ecclesiæ Christi docet Apostolus 1^a. ad Cor. 10. v. 6. scribens, antiqua omnia contigisse nobis in figuram; eam autem monarchice constitutam ex Deuter. 17. testatur JOSEPH. L. 2. contr. Appion. docens: *Lex Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit; summo autem Pontifici aliorum Sacerdotum primatum competenter injungit.* 2^o. Hierarchia Angelorum seu Ecclesia triumphans ex Greg. L. 4. epist. 12. et Bernard. L. 2. de consid. est idea et exemplar Hierarchiæ fidelium seu Ecclesiæ militantis: sed illam monarchicam primum in Lucifero, nunc in Michaeli censerit, Greg. L. 32. Mor. c. 24 et 25. ac Hieron. in Job. 40. alique docent: ergo. 3^o. Ecclesia Christi comparatur Cant. 6. exercitui ordinato, 1^a. Petri 3. navi, 1^a. ad Timoth. 3. domui: sed juxta Hier. epist. 4. *In quamvis grandi exercitu unius signum exportatur; ex eodem in epist. ad Rustic. In navi unus est gubernator; domus etiam omnis secundum Luc. 12. unus est fidelis dispensator et prudens. Domus autem Dei, juxta AMBR. in loc. Timoth. hodie rector est Damasus. 4^o. Eadem est ac dicitur Joann. 10. unum ovile; sed additur, et unus pastor: Eadem ad Rom. 12. corpus unum in Christo; sed corpori unum caput convenire, et mystici corporis caput fuisse Petrum aliunde constat. 5^o. Præesse unum Episcopum Parochis in diocesi, unum Archiepiscopum Episcopis in provincia, Patriarcham unum Archiepiscopis in Natione, jus sacrum exigit, et consuetudo inveterata probat: ergo et unum Pontificem sufficere omnibus in universa*

Ecclesia convincit. 6°. Notio demum Ecclesie qualiscumque, modo catholica sit, præter Christum vel unius capitis visibilis duntaxat meminit, vel si alios etiam pastores exprimit, eos tamen supremo uni subicit.

Prob. III. Præter Ecclesie regimen perfecte monarchicum cogitari potest vel democraticum, vel aristocraticum, vel democratia aut aristocratia temperatum; idque vel cum diminutione auctoritatis monarchicæ, vel absque ejusmodi diminutione. Sed regimen Ecclesie a Christo ordinatum imprimis non est democraticum, ut in Tr. de Legibus contra RICHIERUM probatur, et hactenus est ostensum: deinde non est simpliciter aristocraticum, ut rursus ibidem, et tum in hoc, tum in superiore Capite est declaratum: præterea non est democratia aut aristocratia temperatum cum diminutione auctoritatis monarchicæ, quatenus supremi capitis Imperium aut a populi optimatumve suffragiis sit pendulum, aut sine horum adstipulatione inefficax vel invalidum; quia neutrum congruit sive cum notis et documentis monarchicis proxime assertis, sive cum primatu jurisdictionis uni solitarie stabilito; multoque minus cum superioritate Pontificis inferius stabienda conciliari potest: tandem temperatum sine diminutione, stans in eo quod Optimates Ecclesie eligi queant ex fidelium aut Clericorum cœtu, electi autem, non vicario tantum nomine, sed auctoritate propria principatum gerant in designata sibi Ecclesia, neque ut consiliarii duntaxat, sed ut iudices ferant sententiam in Conciliis, utrobique tamen cum inferioritate ac dependentia a supremo capite, principe ac iudice; hoc, inquam, temperamentum perfectæ monarchicæ non officit, nec plenitudinem potestatis, sed solitudinem duntaxat excludit. Ergo regimen Ecclesie est perfecte monarchicum.

159. *Objic.* Scriptura, testimonia, et facta docent unum ac indivisum esse Episcopatum, eumque primo ab Apostolis, dein ab eorum successoribus Episcopis in solidum esse possessum: ergo. *Prob. Ant. 1°.* Christus unus in se habuit totam ac integram Episcopatus potestatem: sed idem eandem totam et indivisam Apostolis suis indivisibiliter contulit; tum quia Joann. 20. ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; tum quia Matth. 28. dicit: *Euntes in mundum universum, etc.* non assignando partes in orbe nec in Episcopatu: ergo. 2°. Potestas Apostolis et Episcopis collata in epist. 1^a. ad Tim. 6. v. 20. et 2^a. ad eund. 1. v. 14. est *depositum*; iidemque dicuntur et sunt Tutores Ecclesie: sed deposito pluribus commendato, juxta L. 1. §. 43. ff. *Deposita*, singuli tenentur in solidum; et secundum L. 51. ac 54. ff. *de admin. et peric. Tutor.* tutela una et indivisa manet, quamvis tutores rem dividant: ergo licet jure humano factæ sint Episcopatus divisiones, potestas tamen una est ac indivisa. 3°. Sicut Ecclesia est una, sic unus est Episcopatus; cum illa in hoc speciali quadam ratione consistat: et quilibet Apostolus generalem Ecclesie curam gessit; ut Paulus labores suos recensens 2^a. ad Cor. 11. v. 28. *Sollicitudinem omnium Ecclesiarum* inter eos refert: ergo.

R. 1. ad Arg. N. Cons. Eadem argumentandi forma sequitur etiam Sacerdotium esse unum ac indivisum, a presbyteris singulis ac Episcopis in solidum possessum. Quamvis enim, qui tamen ipso hoc argumento evertitur, statuatur ordo hierarchicus, is nihilominus cum sacerdotio uno ac indiviso componeretur eatenus, si, ut de Episcopis respectu summi Pontificis adversarii loquuntur, diceretur: Sacerdotes certis duntaxat stringi vinculis, ne a

centro ad peripheriam excurrant, eorumque jurisdictionem, cæteroquin parrem omnino et æqualem, obnoxiam tantum esse Episcopis, indeque arctioribus limitibus teneri. Quod quam dictu est absonum, tam accommodum est ad instantiam præsentis objectioni ubique faciendam.

R. 2. N. A. Non unitatem hujusmodi, sed inæqualitatem ac in diversos gradus sectionem regiminis hierarchici Scriptura et antiquitas novit, ut supra ostensum est. Quod ad vim faciendam Episcopi hic dicantur Apostolorum successores, admitti potest, quantum in Apostolis spectatur dignitas Episcopalis et ordinaria potestas pastoralis in Ecclesiam particularem sibi subjectam; negatur autem, si transferatur ad dignitatem Apostolatus et amplissimam hujus muneris jurisdictionem personalem, de quo superius.

Ad *Prob.* quoad 1. *N. m.* secundum id, quod *indivisibiliter* traditam potestatem enuntiat. Eam haud probat textus prior, qui similitudinem duntaxat missionis, non æqualitatem indicat: facturus alias Apostolos etiam auctores Sacramentorum: neque textus posterior; utpote qui in Apostolatum, non in Episcopatum cadit: quo etiam si pertineret, facto legitimo evenisset divisio Episcopatus, ut per prædicationem distributio orbis. Episcopatum enim discretionem, saltem generatim, ex jure divino ipsius Christi descendere, PALLAV. L. 6. Hist. Trid. c. 3. autumat; propterea quod Christus eam utique reipublicæ formam videatur præscripsisse, quæ infirmitati humanæ sit accommodatior, et a dissidiis ex præventionem concurrentis jurisdictionis facile orituris remotior.

Quoad 2. *T. M. D. m.* Tenentur in solidum singuli, depositarii quidem, si deponens omnium in solidum fidem sit secutus; tutores autem, si tutelam susceperint pro indiviso, C. si neutrum fuerit factum, N. Ut in casu, tum hic concesso, tum in lege de utriusque depositarii fraude expresso, justa est singulorum in solidum obligatio; sic æquitati naturali et sanæ rationi maxime convenit, ne diviso inter plures deposito, nullaque singulorum in solidum postulata fide, teneantur omnes: præsertim cum hæc ipsa lex comparationem cum tutoribus faciat, qui ex L. 3. § ult. de *Admin. et peric. Tutor.* audiendi sunt, si dividi inter se tutelam velint; et ex L. 4. ac 47. § 2. *ibid.* unusquisque exceptione submovebitur pro ea parte vel regione quam non administrat; si nempe res divisa fuerit. Probari autem nullatenus potest Christum, demandando Apostolis depositum Ecclesie, singulorum in solidum fidem esse secutum, aut tutelam illis pro indiviso commisisse.

Quoad 3. *R.* Imprimis Ecclesia una est unitate doctrine et capitis, non indivisionis; cum constet aliam dici ac esse Ecclesiam Gallicanam, Germanam et aliarum Nationum: unde quamvis Ecclesia in Episcopatu specialiter consistat, hunc esse individuum non sequitur. Deinde Apostolus quilibet gessit Ecclesie universæ curam vi forsitan Apostolatus, vi Episcopatus minime. Textus littera, non curam a Paulo Ecclesiis impensam, sed ipsarum Ecclesiarum vel jactationem ab hostibus, vel hostilem coitionem declarat; communione tamen acceptione permissa, indicat vel spontaneo zelo vel necessitate urgente susceptam curam, non item auctoritatis propriæ officium; qua scilicet ratione Tribunal subinde totius exercitus curam gessisse legitimus.

Inst. 1. Etenim: 1°. Auctor opusc. de Dign. Sacerd. L. 2. c. 3. scribit: *Quas oves et quem gregem tunc B. Petrus suscepit, nobiscum suscepit, et cum eo illas nos suscepimus omnes.* 2°. HORMISDÆ dictum est: *Thronos omnes Apostolicos*

sedesque Episcopales *unam esse sedem Apostolicam*; et SYMMACHUS Papa epist. 1. ad Eonium inquit: *Dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque indivisa potestas, unum est per diversos Antistites sacerdotium; quomodo priorum instituta a sequentibus convenit violari?* 3^o CYPR. L. de unit. Eccles. aperte enuntiat: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; Item: *Quam ecclesie unitatem tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus; ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Ergo.*

R. quoad 1. Nec To *omnes* ad oves seu obliquum refertur, sed ad nos seu rectum; nec, si aliter accipiatur, oves omnes cuilibet subsunt Episcopo; cum singuli quidem sint *vocati* in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Quoad 2. R. Uterque verum enuntiat: HORMISDAS quidem, Apostolorum et Episcoporum thronos *unam* dicendo sedem Apostolicam, et Symmachus docendo in Pontificibus sibi ex ordine succedentibus idem sacerdotium haberi et manere; sicut nempe plures cathedrae unam constituunt Academiam, et successores in eodem regno eadem qua antecessores pollent auctoritate: aequum autem ex illis probatur una ac indivisa pro Apostolis et Episcopis omnibus potestas; ac parum ex his sequitur, Academiam in solidum possideri a singulis Doctoribus, aut potestatem regiam, quam Regni possessores habent, etiam a Proceribus teneri, qui cum illis curiam conflant.

Quoad 3. D. A singulis in solidum pars tenetur, servata proportione potestatis cuilibet propriae, C. aequaliter ac omnimode, N. Quamvis permittatur hic agi non tantum de potestate ordinis, sed et jurisdictionis, constat tamen ex relatis num. 157. CYPRIANI verbis et scopo, in ipso uno Episcopatu haberi aequalitatem partium et graduum diversitatem: adeoque Episcopo quolibet suam partem et gradum possidente, una tota et in ratione etiam totius indivisa possessio constitui potest, quin Pontifici tamen detrahatur primatus et suprema potestas, aut quilibet totam possessionem habeat; praesertim cum non dicatur Episcopatus unus totus, sed pars tantum a singulis in solidum teneri: praeterea etiam *radii, rami et rivi* singuli lumen solis, robur arboris, ac fontis ubertatem neququam in solidum obtineant; qua tamen comparatione ibidem S. Doctor utitur.

Inst. 2. Non Apostoli tantum, sed et Episcopi alienis provinciis succurrunt, proque tota Ecclesia laborarunt. Sic CHRYS. de Eustathio scribens inquit: *Edoctus prope fuerat a Spiritu gratia, Ecclesiae antistitem non de illa solum quae ipsi a Spiritu sancto sit commissa curam debere gerere, verum etiam de universa quae per orbem terrarum degit*: THEODORET. autem L. 4. Hist. c. 12. de Eusebio tempore Constantii sub militari veste Ecclesias perlustrante notat: *Tum presbyteros et diaconos creabat, tum alia obibat officia Ecclesiastica; ac si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quae carebant Pastoribus, praefecit*: ergo.

R. quoad 1. D. Etiam Episcopi alienis provinciis, suo scilicet Episcopo destitutis aut aliter periclitantibus, succurrerunt, ex charitatis tum erga Ecclesiam, tum erga proximum officio, C. ex auctoritatis ac jurisdictionis titulo, N. vel *subd.* titulo auctoritatis propriae et jurisdictionis ordinariae, N. delegatae et extraordinariae, C. Urgente etiam necessitate et periculis postulantis, Episcopi tamen propriam et ordinariam auctoritatem in alienas provincias

nec habent ex vi suae ordinationis, qua scilicet certis duntaxat Ecclesiis regendis praeficiuntur; nec ex jure, cujus quidem canon nullus laudari potest, sed oppositum potius cap. 1. de *praescript.* docetur; nec ab usu, qui alias etiam titulum universalis Pastoris his auxiliatoribus, idemque jus Sacerdotibus et Laicis simile saepius feliciter ausis tribuisset; nec immediate a Christo, utpote de cujus commissione nullum adest vestigium. Unde si quid in his auctoritate factum est, id contigit auctoritate tantum delegata, et eatenus extraordinaria, quam scilicet Romanus Pontifex dedit, vel dedisse optime etiam juxta L. 46. § 7. ff. de *Furtis* praesumebatur.

Nec aliud evincunt exempla. Dictum enim CHRYSOST. de Eustathio rem factam ex charitate indicat, cum *edoctum a Spiritu gratia* asserat: factum Eusebii vel eandem originem habet, vel profectam a Pontifice auctoritatem declarat; cum alias jure proprio, non autem Eusebii subdelegatione, Episcopi alii ad viduas Ecclesias regendas accedere potuissent.

Inst. 3. Saltem S. PAULUM aequalem et socium fuisse S. Petro probant Scripturae monumenta; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1^o. Paulus per Antonomasiam vocatur Apostolus, h. e. Princeps Apostolorum. 2^o. Ipse se aequiparat Petro, ad Gal. 2. v. 7. et 8. scribens: *Creditum est mihi Evangelium praepitii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in Apostolatam circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* 3^o. Idem dicit ibid. v. 5. *Se neque ad horam cessasse subjectione*; et v. 11. *Cephae in faciem restitisse*; quod juxta Caus. 2. Q. 7. Can. 28. non licuisset Paulo, si Petro inferior fuisset.

R. ad Arg. D. A. Faciunt haec S. Paulum aequalem et socium Petro in eo quod est proprium Apostoli, C. in eo quod est Episcopi et praesidis Ecclesiae, N. utriusque dignitatis officia num. 159. in resp. ad prob. 2. breviter recensuimus, atque ad illa Apostolatus munera pertinere pleraque hic objecta, constabit ex dicendis.

Itaque ad prob. quoad 1. D. Paulus vocatur per Antonomasiam Apostolus seu Apostolorum princeps praecellentia potestatis, N. praecellentia operis; C. Antonomasiam certe hoc sensu accipit AUG. L. 3. ad Bonif. c. 3. ita scribens: *Apostolus eum dicitur, si non exprimitur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus; quia pluribus epistolis est notior, et plus omnibus laboravit.*

Quoad 2. R. D. Equiparat se Petro quoad destinationem primariam praedicationis, confirmatae miraculis et coronatae fructibus, adeoque quoad Apostolatus munus et effectum, C. quoad auctoritatem et pastoralis officii primatum, N. Hi enim Apostoli *partiti sunt non potestatem sed opera*, ut ad hunc locum scribit HIER. Caeterum ex Apost. Actis patet Judeis etiam Paulum, Gentibus Petrum praedicasse.

Quoad 3. R. Textus prior non de Petro, sed de falsis fratribus agit; ut versus praecedens docet: similiter nec posterior; quia Cephas hic reprehensus secundum probabiliorem sententiam alius est a Petro Apostolo: permessa vero Cephae hujus ac Petri identitate, non tamen probatur Pauli aequalitas; tum quia Patres, num. 157. in prob. 1^o part. relati, reprehensorem aperte pronuntiant inferiorem: tum quia citatus Canon de Seniore, non de Majore loquitur.

Inst. 4. Nam 1^o. Petrus et Paulus ab IREN. EO L. 3. adv. haer. c. 3. *Ecclesiae Romanae Institutores et fundatores*, a CHRYS. hom. 32. in epist. ad Rom. *Romae oculi*, a LEONE serm. 1. de nat. Apost. *Romanae urbis patres ac pastores* compellantur. 2^o. Idem dicuntur ab EPIFRAN. haer. 17. *primi omnium Apostoli*

pariter, et Episcopi Romæ, a CYRILL. Hier. Catech. 6. Illumin. Capita Ecclesiæ, a CHRYS. 1. c. Chori sanctorum coryphæi, MAXIMO TAURIN. Serm. 5. Principes Ecclesiarum et fidei christianæ. 3º Paulus speciatim asseritur a GREG. L. 1. Dialog. c. 12. Petri in principatu Apostolico frater, ab Ambrosiastro primatus gratiam, sicut Petrus consecutus, a PETRO DAM. Opusc. 35. c. 4. Omnibus præsidere, et in omnibus jus præsentis tenere: ergo.

R. Quoad 1. PAULUM dici posse fundasse docendo, illustrasse agendo et patiendo, genuisse instruendo et tingendo, pavisse verbo et exempla edendo Ecclesiam Romanam, quin plus aliquid quam Apostoli, operarii aut præconis ageret: præsertim cum Leo ibid. dicat per solam Petri Sedem Romam caput orbis effectam. Præterea aliud est memorata omnia agere cum Petro, aliud eadem cum illo auctoritate præstare et principaliter; quia illud coadjutori, hoc proprio pastori congruit.

Quoad 2. R. Petrus et Paulus ab EPIPHANIO dicuntur primi Apostoli et Episcopi Romæ, D. spectando maxime doctrinam, C. potestatem, subd. uterque æquo jure, N. diverso, C. Scopus S. Patris erat ostendere, doctrinam illibatam Romæ perstitisse, usque ad Marcellinæ femine cujusdam pestilentis ætatem; quod ut præstaret, initium hic a doctrinæ fonte et institutione fidei ab utroque Apostolo profecta facit. Ratione communis hujus operæ uterque dicitur Episcopus Romanus; Petrus quidem ordinarius ac vi gubernationis et respectu Ecclesiæ Romanæ, ut hæc quoque origo et centrum est universalis et Catholicæ: Paulus autem extraordinarius, et vi tantum foundationis, ac respectu Ecclesiæ Romanæ, ut hæc particularis est et muris urbis comprehensa. A CYRILLO iidem non Capita, sed Prostata seu præsidēs compellantur, Petro etiam nomine Protostate seu primi præsidis Catech. 2º. concesso. Titulus Coryphæi a CHRYSOST. datus superiorem sanctitate, auctoritate non item exprimit; ut ex conjuncto substantivo apparet. A MAXIMO commune elogium cum discrimine tamen tribui, verba hæc adjecta declarant: Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentie.

Quoad 3. R. Paulus a GREGORIO Petri appellatur frater, D. natu et auctoritate minor. C. par, N. Christus ipse Apostolos vocavit fratres, et Reges sæpe fratres numerant, ubique tamen sine potestatis æqualitate. Ab Ambrosiastro seu auctore Commentarii in Pauli epistolas sub Ambrosii nomine laudari solito, qui juxta criticos vel Luciferi vel Pelagii erat sectarius, tribuitur Paulo primatus prædicationis, non auctoritatis, ipso auctore sic loquente: Ut dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut habebat Petrus in prædicatione circumcissionis. Demum PETRUS DAM. rursus de præsentia per doctrinam et prædicationem duntaxat loquitur, ideoque Paulo in omnes Ecclesias, quas edocuit, tribuit præsidium, sed cum hac modificatione: Videtur aliquatenus præsidere. Cæterum ibidem asserit primum Ecclesiæ Romanæ locum ex Petri privilegio, nulla Pauli facta mentione.

Inst. 5. Nam: 1º. In Officio legitur: Petrus Apostolus et Paulus Doctor gentium ipsi docuerunt nos legem; in precibus autem dicitur Ecclesia per ipsos sumpsisse religionis exordium; in Sacramentario Gregorii tandem recitatur: Deus, qui tuis Apostolis ligandi solvendi que licentiam contulisti etc. 2º. Pontifices scribunt se successores Petri et Pauli; imperant auctoritate Apostolorum Petri et Pauli; minantur indignationem Beatorum Petri et Pauli. 3º. In diplomatum Pontificiorum sigillis exprimuntur imagines utriusque Apostoli: in

iisdem Paulus etiam obtinet plerumque dextram, ad significandam scilicet auctoritatem; quandoque mutato tamen apparet latere, ad designandam forte perfectam utriusque æqualitatem.

R. Quoad 1. Ecclesia in Officio et Precibus recte veneratur duos Apostolos, ut fundatores, patres et magistros, non tamen tanquam primatus æquo saltem jure participes. Ligandi solvendi que licentia, in Sacramentario Apostolis tributa, vel extraordinariam tantum potestatem vel minorem significat præ illa, quam per ligandi ac solvendi Pontificium Petro cum clavibus traditum oratio propria eidem vindicat.

Quoad 2. R. Pontifices se dicunt successores etiam Pauli, D. quoad successionem localem, quatenus Paulus Romæ prædicavit; item quoad realem etiam, quatenus Pontifices omnia tum Pauli, tum Apostolorum reliquorum jura sibi vindicare possunt, C. quoad successionem personalem, obeundo ejus officium, gradumque tenendo, N. Sic enim vero successores majores sunt solius Petri. Auctoritas Apostolorum sub qua imperatur, et indignatio quæ minando proponitur, non tam est officii potestas quam potentia patrocini, quæ tum pro negotiis, tum contra hostes Ecclesiæ his formulis imploratur; unde et Sanctorum omnium auctoritatem et indignationem in similibus Pontificum scriptis usurpatam legimus.

Quoad 3. R. Effigies utriusque Apostoli exprimitur in sigillis diplomatum, quia Paulus in fundanda et regenda Ecclesia juvit: cumque cathedra et potestas Coadjutoris distincta et alia non sit ac quæ est Ordinarii et Pastoris; hinc uterque in sigillo exprimitur, et utriusque successores se scribunt Pontifices: in annulo tamen Piscatoris, quo Brevia signantur Apostolica, unius Petri imago apparet. Dextera Paulo data auctoritatem haud indicat; ex Petro Dam. enim l. c. c. 1. D. Thoma Lect. 2. ad c. 1. epist. ad Gal. et Conciliorum Actis supra notatis sinistra honoratior est præ dextra. Nec variatio subinde occurrens æqualitatem auctoritatis prodit, sed potius vel imperitiam sculptoris, vel nullam situs hujusmodi habitam aut habendam rationem.

160. *Observa. Monarchia secundum triplicem sensum accipi potest: 1. In sensu alieno, pro regimine quo unus omnia potest vel exercet pro lubitu ac libidine; hæc Anomarchia seu exlex imperium dicitur, et tyrannidem sonat: 2. In sensu stricto sed minus communi, pro regimine quo unus habet omnem potestatem, et exercet per se ipsum vel per meros vicarios; hæc Autarchia seu imperium proprium et autocraticum vocatur, et Exod. 18. in Moysse apparuit: 3. In sensu proprio et communi, pro regimine quo unus imperans habet supremam potestatem, præscindendo an subjecta alia potestas proprio vel vicario nomine ab inferioribus exerceatur; hæc Monarchia simpliciter audit, vigetque in multis hodie regnis.*

Simili sensuum numero Aristocratia usurpari potest: 1. In sensu alieno, ubi optimates potestatem quidem propriam, sed nec supremam, nec independentem habent; hæc Elacharchia seu Principatus obnoxius aut inferior potestas appellatur: 2. In sensu et minus proprio et minus communi, ubi Optimates seorsim et pro sua quilibet portione potestatem supremam ac liberam obtinent; hæc Polyarchia potius, et multorum singulares monarchiæ, quam unius reipublicæ regimen in pluribus residens vocari meretur: 3. In sensu proprio et communi, ubi optimates conjunctim, seu aliqua eorum collectio et cætus,

supremam potestatem indivisam possident, quantumvis unus aut aliqui praesint, prerogativa meri ordinis aut dignitatis; haec *Aristocratia* simpliciter dicta nomine intelligitur. Porro ex geminis politicae formis, Polyarchia et Aristocratia, cum nullo Monarchiae genere, neque Elacharchia cum Autarchia conciliari, integraeque una in imperio stare possunt; quia utrobique unitas vel solitudo pluralitatem aut consortium imperantium excludit. Quo minus tamen Elacharchia cum Monarchia simpliciter dicta in unum regimen confluere possint, nulla obest contradictio; cum suprema potestas in uno non prohibeat minorem et obnoxiam reperiri in multis propriam.

Demum quae ex speciebus hujusmodi conjungi una nequeunt, amittere aliquid proprii debent, ut miscelam ac temperamentum faciant, et prodeat aliquod tertium: quae vero conciliari non repugnat; in conjunctione quidem detrimentum haud patiuntur, sed nec attemperari proprie dicenda sunt. Quodnam ex tam variis sive simplicibus sive mixtis formis regimen Ecclesiae a Christo fundatae conveniat, quantumvis ex hactenus dictis facile colligatur; breviter tamen omnes classes percurrendo annotare hic juvat.

161. Et 1^o. quidem: nefas est cogitare conditam in Christi Ecclesia Anomarchiam. Disposuit enim hic Deus omnia in mensura et numero et pondere: Christus edidit leges fundamentales suae Ecclesiae; atque ab ejus gubernatoribus tyrannidem, dominatum et arbitrarium regimen, mandatis Matth. 20. 1^a. Petr. 5. alibique datis, dimovit. 2^o. Autarchiam quidem in Ecclesia observare licet, si ad regiminis Ecclesiastici auctorem et caput invisibile, Christum scilicet, illam referamus. Christus enim omnem a Patre potestatem traditam obtinet: Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas aut Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores: Christus imperat, regnat, baptizat et omnia agit per Ecclesiae praepositos, tanquam Legatos, ministros et dispensatores suos. Si vero ad subjecta potestatis visibilia traditamque hominibus regiminis formam attendatur; haec monarchiae species nec praesto est, ut manifeste patet; nec exigi etiam potest: quia Ecclesia regnum Christi est, non autem hominis imperantis; et quicumque praesidet, Christi nomine imperat, ejusque est Vicarius. 3^o. Superest Monarchia simpliciter dicta; quam in Ecclesia a Christo esse institutam probat tum Primatus Petri hactenus assertus, tum rationes num. 158. in Confirm. utr. part. deductae.

162. Hanc vero Monarchiam suo in genere esse perfectam, nec admixtione regiminis *Aristocratici* diminutam aut alteratam, patet: 1^o. quia stante Ecclesiae unitate alibi probata, nequit admitti *Polyarchia*; cum ipse praesens Articulus satis ostendat, potestatem cujuscumque ecclesiasticam Primatui Petri subditam esse et obnoxiam: 2^o. quia nec Aristocratia simpliciter dicta locum in Ecclesia habet, cum praeter proxime opposita pateat, nullum Optimatum coetum aut a Christo fuisse institutum, aut collectum hactenus durasse, a quo suprema Ecclesiae potestas administraretur; omnis etiam celebratus adhuc in Ecclesia conventus jure et facto pendulus fuerit a Petro aut ejus Primatum tenente, ut et supra dictum est, et infra uberius demonstrabitur. 3^o. Quia quae est in Ecclesia Elacharchia, nihil proprietatis aut perfectionis detrahit ex Monarchia. Quantumvis enim Episcopatus sit ab ipso Christo institutus, Episcopi etiam Principes sint Ecclesiae suae proprio et non

vicario nomine, veri itidem iudices nec consilarii tantum; haec tamen prerogativa sicut eos non eximit a subordinatione et dependentia, qua Capiti Ecclesiae et Christi vicario sunt obnoxii, sic nec hujus potestatem ab eorum auctoritate, sententia, aut concursu facit aut supponit suspensam: adeoque istud Aristocratiae genus formam regiminis haud afficit, nec Monarchiam attemperat.

Quare qui ob hanc qualemcumque conjunctionem regimen Ecclesiae mere monarchicum negant, vel monarchicum Aristocratia temperatum appellant, minus accurate minusque proprie loqui convincuntur; cum aut Monarchiam aut Aristocratiam alieno vel improprio sensu intelligi oporteat, temperamentum autem suo effectu spoliare sit necesse.

QUERES: *An et quamdiu Sanctus Petrus sederit Romae?*

163. *Nota.* Quaestio de PETRI commoratione et Episcopatu Romano non tam appendix est prioris, quam prologus galeatus posterioris Articuli, quo summos Pontifices in Primatu successores Petri statuimus. Hanc ut iis prerogativam prodroma inficiatione eripiant Heterodoxi, post Guillelmum quemdam Wicleffi praepotorem, Udalricum Velenum Lutheranum, et Calvinum L. 4. Inst. c. 6. § 13, pro varia sua eruditione, negant alii quidem PETRUM unquam venisse Romam; alii, quamvis venisse Romam eum concedant, negant tamen Romae eundem vel fuisse Episcopum, vel ibidem obiisse, vel ad mortem usque Episcopatum Romanum retinuisse. Licet autem ad assertionis futurae defensionem, ut necessarium, sic sufficiens sit ostendere quod PETRUS Romanum Episcopatum semel susceptum nunquam dimiserit; quoniam tamen singulae negationes falsae sunt, ad uberiores rei satis utilis cognitionem, oppositam veritatem distinctis assertionibus demonstrabimus. Pro faciliiori porro dicendorum intelligentia praemittere juvat brevem gestorum a PETRO huc spectantium chronotaxin, in qua efformanda ad aliquot capita tanquam vel supposita vel postulata nobis attendendum putamus.

Eorum 1. est Salvatore nostrum passum esse anno aerae communis 29. sub consulatu duorum Geminorum; ut docent Tertull. adv. Judaeos, Lactant. L. 4. de vera sap., Chronicum Liberianum in Proem., Aug. L. 18. de Civ. Dei c. 54. et alii.

2. Apostolos, antequam dividerentur in universum orbem, duodecim annis perstitisse in Palaestina; ut Clem. Alex. L. 6. Strom. et Apollonius apud Euseb. L. 5. hist. c. 28. indicant.

3. Facta Apostolorum divisione, Petrum Antiochiae fundasse Ecclesiam; ut Chronicon Eusebii et Alexandrinum docent: quibus accedens Greg. L. 6. epist. 37. solus pro mansione Antiochena assignat septennium. Verum, si salvum ac integrum velis caput praecedens, legi oportet triennium, emendando scilicet mendum, quod hic numero III. in VII. facile mutato exortum videtur.

4. Diversimode assignari Petro 25. annos; a Lactantio quidem L. de mort. persecut. c. 2. et a Chronico Liberiano a Tiberii tempore usque ad initia Neronis, quos scilicet numerari oportet pro Vicariatu Christi Petrino: ab Eusebio autem in Chronico et Hieron. de Script. Ecclesiasticis usque ad mortem, quos sumere decet pro Petri cathedra seu Episcopatu Romano.